



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Quaedam relationes et informationes circa
monasterium S. Crucis in Austria, in ordine ad
emendandam vel augendam historiam abbatiarum
Ord. Cisterc. a Jongelino editam.

Herausgegeben von Fr. Tescelin Halusa, Ord. Cist.

Was hier ein Schriftsteller des Hauses (Heiligenkreuz) mit Fleiss und Liebe zusammengetragen, verfolgt vor allem den Zweck, die „Notitia Abbatiarum Ord. Cisterciensis“ (Cöln 1640) des belgischen Cisterciensers und Ordenshistorikers, Gaspar Jongelin, Profess von St. Salvator in Antwerpen, mit Bezug auf Heiligenkreuz zu verbessern. Es ist bekannt und unser Autor weist selbst bei Behandlung Michaels II. Schnabel darauf hin, dass dieser Jongelin die Kenntnis der Abtgeschichte von Heiligenkreuz vermittelt habe. Wer indes diese relationes geschrieben, ist nicht bekannt, da der Verfasser nirgends auf den losen Blättern des Originals sich verräth; nur betreffs der Zeit der Abfassung erhalten wir Kenntnis, da der Verfasser mit Abt Robert (1728—55) schliesst, nachdem er noch eingangs bemerkt, dieser sei es, „qui hodie gubernacula Monasterii nostri vigilantissime tenet.“ In seinen Ausführungen reiht er sich würdig an andere Historiographen des Hauses; Abt Michael Schnabels „Memorabilia“ (1638), die „Notitia universalis Mon. S. Crucis“ des Abtes Clemens vom Jahre 1671, P. Georg Strobls „Abbatia S. Crucis Austriaca“ (1679), die „Corona Abbatum S. Crucis“ von P. Alberik Höffner (1685), die „Series . . . abbatum in s. Cruce“ von P. Ambros Seywitz (1750), sowie P. Johannes Burgers „Collectiones historicae

personarum et rerum San Crucensium“ (1777) und endlich P. Hieronymus Rösslers „Annales Vallis nemorosae Austriacae“ (1800) erhalten hier einen würdigen Zuwachs und Jongelin eine nothwendige Ergänzung. In der Literatur über Heiligenkreuz (vgl. „Xenia Bern.“, III. S. 39 ff.) geschieht dieser Schrift nirgends Erwähnung; der (†) Archivar des Hauses, P. Gsell, scheint sie demnach nicht gekannt zu haben. Die Uebereinstimmung mit dessen diesbezüglichen Arbeiten bürgt für die Sicherheit in der Forschung von seiten unseres Autors; wir beziehen uns in der Folge daher öfters auf dessen kritische Reihenfolge der Aebte (Xenien, III. 53—77).

* * *

Austriae decus, Sanctae Crucis coenobium, de coloniâ Morimundensi, prima Ordinis mellei in hâc patriâ plantatio, religionis famâ celeberrimum septenarumque filiarum foecunda mater, situm est in Archiepiscopatûs Viennensis dioecesi intra eam partem, quam silvam Viennensem inferiorem vocant ad Sattelbachium rivum in valle quâdam nemorosâ ac frondosis undique circumdatâ iugis; quarto lapide ab urbe Viennâ, secundo vero â Thermis Austriacis, vulgo Baaden, distat. Coenobii locus ante acceptas Morimundi colonias nuncupatus Sattelpach â praeterlabente rivo qui paululum infra monasterium sese coniungit cum Schwechado fluviolo, versus Thermas Baadenses decurrente; deinceps vero ob reverentiam Crucis Dominicae, cuius insigni particulâ a S. Fundatore (?) suo Leopoldo donatus est, sanctius nomen est sortitum, appellatum videlicet „Coenobium Sanctae Crucis.“ Monasterium hoc, quam sancte sit fundatum, munificentissimis donationibus ac privilegiis munitum, nobilissimis sepulturis celebre, foecunda mater antiquitate, Abbatum denique ac Religiosorum numero stemmate, sanctitateque ac vitae merito conspicuum, Jongelinus sub distinctis titulis satis fuse et accurate, exhibet; sequentia tamen communicare censuimus, equibus („Paragaphus primus“) haud aegre colligi poterit, ubi et quibus in rebus Jongelinus defectu vel vitio documentorum hallucinatus sit.

Splendidissimum illud Cisterciensis reformationis lumen vix mundo illatum est, cum erumpentes sanctitatis suae radios per totum, quâ late patet orbem difundere coepit; non mirum itaque, si Austriacis quoque plagis â primo statim sui exortu illuxit. Parebat eo tempore Austria religiosissimo principi Leopoldo, Leopoldi pulchri filio primogenito, et Austriae sexto Marchioni, cui piïssima eius coniux Agnes, imperatoris Henrici quarti filia, Deo foecundante octodecim genuit filios, quorum quintus, Otto nomine, Frisingensis postea episcopus et historicus celeberrimus, posteaquam Parisiis, ubi studiorum causâ aliquamdiu morabatur,

ad propria redere pararet, in Morimundensi coenobio pernoctans, Spiritus sancti attractus funiculis, ibidem Cisterciensi ordini solenni professione sese obstrinxit. Non poterat se divinae gloriae zelus, quo accendebatur, intra solos Galliae fines continere; mittit itaque ad pium Parentem litteras, quibus eundem hortatur; uti nonnullos eius instituti evocaret in Austriam, et quae eius esset in pios ordines munificentia, monasterium construeret; cui Pater continuo obsecutus. Itaque anno ab incarnato Verbo 1131., — ut antiquissima ad ingressum ecclesiae nostrae scriptura testatur, quae supra Salvatoris in cruce pendentis brachia hisce characteribus **M J**¹⁾ exarata conscipitur, — fundum donavit D. Leopoldus aedificiumque inchoat: egrediuntur dein anno 1134, indictione duodecima, e Morimundo, veluti e terrâ et cognatione suâ vocati, Godescalcus, secundum merita disciplinae doctrinaeque splendorem primus novae coloniae electus Abbas, cum Guillelmo Priore aliisque Fratrum sapientiae morumque gravitate conspicuis, qui â pio Principe velut angeli Dei benevole accepti in loco, quem tum Sattelbach vocabant, eius mandato resedère. Anno dein sequente nimigur 1135, 15. Kalendas Aprilis, püssimus Princeps eorum congaudens religioni et providens indigentiae, manu potestativâ, ut diploma foundationis loquitur, hoc idem annuente et petente comparticipe thori Agnete et filiis suis Alberto, Leopoldo, Henrico, Ernesto tradidit eis terram circumiacentem suoque iuri pertinentem in agris, pratis, pascuis, aquis, silvis cultis et colendis cum terminis, quos eis circumlimitavit nominatimque annotavit, ut luculentius apparet ex ipso donationis instrumento, quod tamen datum anno insequente, videlicet 1136, indictione 14, anno regni Domini Lotharii²⁾ 8.(?) imperii vero 3. Fervebant inter haec operae in construendo monasterii aedificio, quod tamen pius Princeps consummare haud potuit, praeventus sanctissima morte, quae eodem anno 1136. 17. Kalendas Decembris fores beatae aeternitatis ipsi reseravit. Locus vero, qui eatenus Sattelbach vocabatur, antiquato

¹⁾ Diese angeblich räthselhafte Inschrift hat zu den verschiedensten Erklärungen Anlass gegeben. Einige fanden die Jahreszahl 1131 oder 1134 darin. P. Koll, weiland Archivar des Hauses, fand die Worte des Apostels »Mihî vindicta« darin verborgen, die Abt Conrad III. sich zum Wahlspruch genommen. Marquard Herrgott hält in seinem Bericht an seinen Fürstabt die erstere Ansicht fest, hat aber dabei seine Bedenken. Fr. G. Lanz, O. Cist. hat die richtige Ansicht verbreitet. Hiernach sind diese beiden Buchstaben nichts anders als ein Alpha und Omega, die an je einem Zäpfchen unter dem zweiten Querbalken des der Kreuzpartikel nachgebildeten Kreuzes hängen. In tiefer Symbolik ist also dargestellt, wie das Alpha und Omega (Jesus Christus) am Kreuze hängt. NB. Manche haben diese Zäpfchen auf den Namen »Jesus« zu deuten versucht. Vgl. P. Koll, Das Stift Heiligenkreuz in Oesterr., 1834, S. 38; A. Schmidt, Wiens Umgebungen, Bd. 3. Theil 2. S. 347).

²⁾ Lothar, als Kaiser Lothar II. (1125—1137), zum Kaiser gekrönt 4. Juni 1133.

priori vocabulo novam nuncupationem admisit, appellatus monasterium S. Crucis „ob victoriosissimum salvationis nostrae signum,“ cuius insignem particulam D. Leopoldus monasterio à se fundato tanquam pretiosam beatissimae memoriae tesseram reliquit.

Series Abbatum S. Crucis sub titulo Paragraphi ultimi.

I.

Godescalcus anno 1134. e Morimundo cum Willhelmo Priore et ceteris Fratribus evocatur. Odor omnigenae virtutis et sapientiae, qui sub eiusdem sancto regimine in cunctis dispergebatur Austriae finibus, tam multos e mediis procellesi saeculi fluctibus ad tranquillum coenobii crucensis portum attraxerat, ut exiguo temporis intervallo, quemadmodum constans traditio tenet, numerus religiosorum ad trecentos excreceret. Vivebatur proinde de facultatibus pii fundatoris proventu non ubere, immo tot inter monachos non sufficienti. Et eo quidem res est adacta, ut pius pastor cum ovibus suis solum vertere meditaretur et in Hungariae fines abscedere, quo multum invitabatur a Rege. Verum magnificus ille et liberalis animus quem haereditario veluti iure à pio Parente acceperat Leopoldus largus, Patri una cum Henrico succedens, non patiebatur egere sanctam illam Congregationem, quam tam piâ fundavit munificentia religiosissimus Parens. Itaque Abbatem cum sociis ad constantiam stabilitatemque adhortatus, eis villam, quae ‚Trumau‘ dicitur, lubenti animo ad quotidiani victus supplementum assignat; hocque ipsum in violabili sanctione ecclesiae S. Crucis perpetuo confirmatum iri, manu propria supra salvificam crucem positâ, — quam secum Abbas in ‚Tuln‘ civitatem ita iussus attulerat — in conventu Majorum totius Austriae sanctissime est protestatus. Atque haec origo est Insignis illius, quo hodie dum monasterium nostrum utitur, manus videlicet ad crucem applicatae, duos cum pollice digitos elevantis. Vivebat posthaec religiosissima haec congregatio necessario contenta victu agensque Deo gratias in simplicitate cordis sui. Nec multo post hic idem Abbas à summo Pontifice Innocentio II. munificentissimo privilegio munitus est, quo, ut ibidem ait Pontifex, monasterium sanctae et vivificae Crucis sub beati Petri tutelâ suscipit et praesentis scripti patrocinio munit. Obiit hic Abbas anno 1147.

II.

„Conradus, 1) filiorum S. Leopoldi sextus minimusque natus, ob sanctitatis opinionem electus in Abbatem S. Crucis.“ Exiguo temporis intervallo pretiosum hunc thesaurum in sinu suo ab-

1) Hiedurch ist die Tradition des Hauses, dass Leopolds heiligmässiger Sohn erst Mönch und Abt von Heiligenkreuz gewesen, sowie die Ansicht der Haushistoriographen allerdings verstärkt, doch urkundlich nicht haltbar.

secundit monasterium nostrum. „Reginberto enim mortuo eductus in lucem ecclesiae Pataviensis regimen admittere coactus est“ anno 1149. „Ita Chronicon Reicherspergense et Claustro-Neoburgense manuscriptum, item Admontense; quod ipsum colligitur ex pluribus diplomatibus, in quibus cum anni Christi 1154. mense Novembri coniungitur annus sextus pontificatus Conradi, rursus ad annum 1159. mense Novembri annus undecimus Conradi; atque adeo annus eius primus necessario recidet in annum 1149. aut dies postremos anni 1148. De Pataviensi vero, cui annis sedecim praefuit, ad cathedram Salzburgensem vocatur ipsâ die, quâ corpus Eberhardi est compositum, id est tertio Kalendas Julii. Ergo illustria duo lumina germani fratres, sanctissimi Leopoldi Marchionis filii eodem tempore ecclesiam Boicam collustrârunt, Otto Frisingensis et Conradus Pataviensis, uterque e disciplinâ S. Bernardi profectus, ut sanguine, sic virtute gemini, quorum ille in aulâ Conradi ac subinde Friderici omnia potuit, magno ecclesiae commodo, ad cuius pacem tuendam universa contulit. Conradus, quod autoritate perficere non potuit, exemplo et constantiâ, quoad potuit sustinebat. Ille felicios, quod tempora, quae deinde secuta sunt, turbulenta non attigit; iste, quod in medias coniectus procellas animum â recto non flexit, tolerando clarios. Hunc Deus saluti Austriae primum, deinde universae Boicae ad cathedram Salzburgensem servavit, qui labefactatâ plerorumque in Germaniâ fide oves suas in partibus legitimi pastoris constanter retineret. Et hanc virtutem in schola Cisterciensi hauserat, cuius ordinis viri fere praecipui tunc erant, qui murum se opponebant pro domo Dei, indignationem principis et exilia eapropter perpassi.“ (Ita Hansizius¹⁾ Germaniae sacrae Tom. I. pg. 311). — Elogium Conradi non minus sanguinis splendore, quam virtutis et sapientiae praerogativâ nobilissimi, attexit scriptor Admontensis apud Canisium in haec verba: Antistes erat regio genere, scientiâ quoque et morum probitate nobilissimus, Patre bonae memoriae clarissimo, regni Principe Liupoldo Marchione Austriae, — qui deinde sanctorum honoribus insignitus est — Agnete, filiâ Henrici quarti Caesaris-Imperatoris, progenitus; germanus etiam Chunradi regis Romanorum, sed et duorum illustrium Leopoldi Marchionis Austriae Ducisque Bavariae, et Henrici primi Austriae Ducis, item Ottonis Frisingensis episcopi frater, Friderici Caesaris patruus, sororius autem Henrici VI. Imperatoris, habens sorores Gertrudem, Ducissam Bohemiae et Berchtam, Ducissam Polonorum, ac Itham, Marchionissam de Monte ferrato et consobrinam Imperatricem Hispaniae Gertrudem. De tam, inquam, illustri parentelâ proles ipsa nobilissima traxit originem; sed tantae nobilitatis lineam

¹⁾ Die Citation desselben ist nicht immer ganz wörtlich, auch späterhin.

moribus extulit, probis actibus decoravit. Postquam bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, quinto Archipraesulatus sui anno tusionibus variis lapis Christi pretiosissimus politus, apud Admontense coenobium, quod semper amico ac paterno coluit affectu, quarto Kalendas Octobris obdormivit in Domino anno 1168. ibique debitâ veneratione sepultus est.

III.

Henricus I., sub Godescalco plantatus in domo Domini, non alios nisi honoris et honestatis edoctus est producere fructus; unde ad abbatialem evectus sedem, praematuram illam orbitatem, quae beatissimi Conradi, decessoris sui, secessione amarissimum doloris sensum S. Crucis filiis infigebat, abunde resarciit. Donatum est monasterium sub eiusdem regimine luculentissimi privilegiis â Pontificibus summis, Lucio III. anno 1180 et Urbano III. anno 1185.¹⁾ „Durabat ex multo tempore inter monasteria Mellicense et S. Crucis controversia super decimis grangiarum Trumau et Talern et vineis fratrum de S. Cruce in parochiis Medlich et Traskirchen. Hanc Leopoldus Austriae Dux utriusque coenobii advocatus ex praecepto Alexandri et consilio Theobaldi, Pataviensis episcopi, compositione amicâ transêgit, quam Abbates monasteriorum, Henricus de S. Cruce et Conradus de Medlich Cremsii in ecclesia S. Viti cum fratribus suis presbyteris, utrinque dextris super altare S. Viti positis roborârunt. De quo extat scriptum Leopoldi Ducis datum 1178, indictione undecimâ 13. Kalend. Julii.²⁾ Legimus in generatione genealogicâ posteriorum S. Leopoldi, Austriae Marchionis, quam saeculo 13. coenobitam monasterii nostri suppresso nomine exarâsse certis indiciis constat, hunc Abbatem monasterii aedificio construendo incubuisse, eumque in hoc opere ab Henrico filio D Leopoldi secundogenito et primo Austriae Duce pro maiori parte fuisse adiutum. Quae ipsa aedificii forma hodieum quoad ambitum seu peristylum integra perstat venerandumque aspectantibus antiquitatis monumentum ostentat; nec minus oblectat intuentium oculos eiusdem antiquitatis fons³⁾ de mero plumbo, tribus justae magnitudinis conchis in altum assurgens, plurimisque fistulis strepentem frigidissimamque aquam emanans, in dicto ambitu consistens. Obiit praenominatus Abbas anno 1186.⁴⁾

IV.

Marquardus.⁵⁾ Anno regiminis eius primo, Christi 1187, Urbani III. tempore „dedicatum est monasterium S. Crucis â Vene-

¹⁾ Hansiz. Germ. sac. T. I. pg. 330.

²⁾ Apud Pezium inter scriptores rer. Austriae. rect. ac genuin. T. I. pg. 575.

³⁾ Der in der Brunnenhalle (14. Jahrh.) befindliche Bleibrunnen.

⁴⁾ P. Gsell hat 1185.

⁵⁾ Chronicon Claustroneoburgense apud Pez. T. I. p. 447. et instrumentum Arch.

rabili Cardinali Theobaldo, Ostiensis et Velletrensis ecclesiae episcopo, sanctissimo sedis apostolicae legato, 11. Kal. Februarii, prima hebdomada septuagesimae in die sabbati cum maxima cleri et populi devotissimâ gloriâ.“ Sub hoc item Abbate donatum est monasterium â Leopoldo Virtuoso maiori illâ crucis particula, quam secum Jerosolymis reversus attulerat, quaeque in hodiernum usque diem extat. De quâ re Chron. Claustron. apud Pezium T. I. pag. 447 ita habet: Anno „1182. Liupoldus Dux Austriae Jerosolymam ivit et inde revertitur, afferens portionem s. crucis ad mensuram virilis manûs.“ De eodem vero Leopoldo virtuoso in generatione genealogica ¹⁾ posterorum S. Leopoldi supra citatâ sic legimus: „... Qui cum cognovisset se moriturum, nobiles secum manentes adiuravit, ut ipsum mortuum in Austriam deducerent ad S. Crucem ibique sepelirent; quod et factum est.“ „Leopoldus fuit primus, qui possedit Styriam cum Austriâ, dictusque est Dux Austriae et Styriae: erat enim valde virtuosus dilexitque viros religiosos. Sed heu! lapsus de equo fractoque crure apparuit vesica venenosa in crure. Unde amputato crure indutoque habitu monachi dixit: „Utinam cum meâ stipulâ contingat me pascere oves S. Crucis — Est autem praedicta illa portio salvificae crucis thesaurus sane nobilissimus ac perquam pretiosus monasterii nostri, qui inter auri gemmarumque fulgores inclusus statis temporibus â frequenti populo gloriosâ devotione adoratur. Nam longitudo huius sacrosancti ligni quasi pedem geometricum exaequat; particularum vero duarum idem per transversum secantium, una (videlicet maior) digitorum quatuor ac medii, minor vero duorum ac medii digiti mensuram habet. Profunditus autem ligni medium adaequat digitum. Moritur Abbas Marquardus anno 1202. ²⁾

V.

Wernerus, quem virtutis sapientiaeque praerogativa super candelabrum posuit, quod ipsum non modo scripta ipsius („de vitâ religiosâ“ et „meditationes“) hodie dum clamant, quae velut praeclara animi sui coelesti doctrinâ imbuti monimenta nobis reliquit, verum etiam maxima et praecipua privilegia, quibus tum â summis Pontificibus, tum â Friderico II. Imperatore, Andrea II. Rege Hungariae, Henrico Rege, Filio Friderici II., Leopoldo VII., Virtuosi filio, dicto Glorioso, aliisque Magnatibus sub eiusdem regimine monasterium munitum est. Ex quibus haud difficile conicimus, quantum in animos Principum poterat. E vivis excessit anno 1228.

¹⁾ Pezium T. I. pag. 576.

²⁾ G. 1203.

VI.

Egilolphus successit Wernero.¹⁾ Hic Abbas à Gregorio Papa nono potestate absolvendi ab excommunicatione munitus est, nec non varia privilegia ac donationes ipsi collatae ab Eberhardo Archiepiscopo Salisburgensi, Rudgero Pataviensi episcopo, Friderico II. Imperatore, Bela IV. Rege Hungariae, Friderico Duce Austriae, cognomento Bellicoso, Osanna Comitissa, quae omnia gloriosam sui memoriam ac desiderium reliquere, ubi aeternitati transcriptus est anno 1242.

VII.

Pilgrinus ex abbate Montis Pomarii Abbas postulatus²⁾ S. Crucis, quae equidem lignum est vitae apprehendentibus eam, ipsi attamen non rosas, sed spinas et tribulos produxit Vix enim ad abbatialem eVectus est sedem, cum irruentibus bellorum procellis plurimorum in Hungariâ mobilium immobiliumque bonorum passus est naufragium, quod tamen plurium dein benefactorum largitas resarciis. Migravit e vitâ anno 1249.

VIII.

Bertholdus,³⁾ secundo postulatus ex Monte Pomario, munitur privilegiis tum ab Ottocaro Rege Bohemiae, tum à Bertholdo Archiepiscopo Salisburgensi et anno 1252. à Bertholdo episcopo Pataviensi. Mortuus est anno 1253.⁴⁾ — NB. Omissus est hic Abbas à Jongelino in serie Abbatum S. Crucis, cum tamen ab ipsomet inseratur Abbatibus de monte Pomario, ibidemque dicatur assumptus postea esse ad sedem abbatialem S. Crucis: Unde vel ex hoc apparet, Jongelinum quoad seriem Abbatum Crucensium insigniter mendosum esse, ut non mirum sit, si innixi authenticis instrumentis usque ad Michaellem Schnabel inclusive numeremus 52 Abbates, cum Jongelinus solus referat 38.

IX.

Henricus II.⁵⁾ tertio postulatus de monte Pomario, de quo in fastos relatum est, aquam a famulis oblatum non sine miraculo in optimum vinum commutasse.⁶⁾ Accipit privilegia à Bela quarto Hungariae Rege anno 1256, item ab Ottone episcopo Pataviensi anno 1255. Resignat anno 1259. Onus tamen Abbatiale resumere debuit anno 1263., quo anno — cum iugum Abbatiale in

¹⁾ Bulla desuper data.

²⁾ Instrumentum electionis et series Abbatum de monte Pomario apud Jongelinum.

³⁾ Instrum. elect. et Jongel. in serie Abb. de monte Pomario.

⁴⁾ G. 1252.

⁵⁾ Instrum. elect. et Jongel. in Abbat. Pom.

⁶⁾ Ipsa privilegia.

S. Cruce iam anno 1259. deposuerit — monasterium Spineae Coronae in Bohemia fundatum est¹⁾ ab Ottocaro Rege de coloniâ monachorum Crucensium, cui praenominatus Abbas primus praesidere coactus est.

X.

Syfridus²⁾ ab Ottone episcopo Pataviensi conseratur anno 1259 in die annuntiationis Beatissimae Virginis. Insignis eloquentiae flumine praeditus Summae Prosaici librum unum, item commentarium super Missae canonem conscripsit. Praefuit anno unico.

XI.

Pilgrinus secundus haecenus scriptoribus incognitus, quem tamen Abbatem S. Crucis demonstrant (ab anno 1261 usque ad 1262) varia instrumenta, nominatim conventio ob pascha in Wülfferstorf inter abbatem hunc et Alberonem de Trautmanstorf. Item ab Ottocaro Rege Bohemiae et Margaretha Romanorum Regina tres carathae in vino et decem urnae maioris mensurae seu iuris montani Talern datae.

XII.

Henricus tertius. „Tenuit solemne suum Otto Pataviensis episcopus in lustranda dioecesi, quâ forte occasione delatus ad monasterium S. Crucis consecravit isthic Abbatem Hainricum die ascensionis Domini“ anno 1262, inquit Hansizius in Germaniâ sacrâ. (T. I. p. 403.) Sub hoc ecclesia nunc parochialis pro familiaribus in monasterio existentibus exstructa et consecrata fuit anno 1278. Excessit ex humanis anno 1284.

XIII.

Sighardus. Sub hoc superioris partis ecclesiae nostrae claustralis structura completa et â Bernardo, Pataviensi episcopo consecrata est, in quâ, teste Cuspiniano, nimia frigoris vehementia non pauci periêre mortales. Et quantum vis consecrationis huius determinatus dies non sit scripto proditus eandem tamen non immerito sub novi anni auspiciis, prima videlicet Januarii contigisse opinamur, indeque deducimus originem solennis illius distributionis de carnibus, pane ac vino, quae hoc die singulis vertentibus annis ingenti hominum adventantium multitudine fieri hodiedum assolet. Mortem oppetiit quinto regiminis anno.³⁾

XIV.

Bertholdus⁴⁾ secundus. Eundem ad clavum sedisse in S. Cruce antiqua loquuntur instrumenta, nominatim privilegium⁵⁾

¹⁾ Diploma fundationis.

²⁾ Hansiz. Germ. Saer. T. I. pg 399.

³⁾ i. e. 1289.

⁴⁾ Die Namen und insbesondere Daten einiger folgenden Aebte werden angezweifelt G. hält ebenfalls unsere Reihenfolge fest.

⁵⁾ de libertate telonii.

monasterio collatum ab Alberto Duce Austriae. Rexit ab anno 1290 usque ad annum 1292.

XV.

Benzo, quem Abbatem demonstrat privilegium¹⁾ ab Ottone Duce Bavariae concessum; nec non alia duo, sine nominis tamen expressione, sed solius anni demonstratione.

XVI.

Bertholdus tertius. Sub hoc ab Alberto Duce Austriae sacellum infirmorum, tunc titulo S. Erasmi episcopi et martyris, nunc vero S. Bernardi nuncupatum fundatum et exstructum fuit aliaque quam plurimae monasterio donationes factae, quae ipsum Abbatem fuisse dubitare non sinunt. Migravit e vitâ anno 1297.

XVII.

Udalricus I, et temporalium et spiritualium curâ insignis. Spiritualium quidem, utpote qui non tantum in domo propriâ volens esse propheta, Campumliorum quoque, eradicando vitiorum spinas, avito candori restituit, dum binâ visitatione eundem sanctis informavit legibus; temporalium quoque provisione non destitit, nam et â Rudolpho Duce Austriae et â Friderico III. Imperatore omnium privilegiorum confirmationem obtinuit. Moritur anno 1305.

XVIII.

Georgius. Demonstrant hunc Abbatem privilegium Stephani Regis ac Ducis Bavariae, datum anno 1306. Obiit anno 1308.

XIX.

Joannes I. Postquam decem annis rexisset (!), iugo Abbatiali sese subduxit; resignavit enim anno 1318.²⁾

XX.

Otto. Ex monasterio S. Crucis ad montem pomarium-Abbas postulatus, per quatuor solum hebdomadas ibidem ad elavum sedit; cum enim ipsa Crux Sancta egere coepisset, eundem ad semet revocare et habenas regiminis capessere voluit.

XXI.

Pilgrinus III. Hunc demonstrat manuscriptus liber fundorum. Vix per annum rexit.

XXII.

Jacobus obdormivit in Domino anno 1332.

XXIII.

Wulfingus. Sub hoc maior s. crucis particula — quae, ut supra dictum, â Leopoldo Virtuoso nobis de novo collecta fuit — theca grandi argenteae ac deauratae, pretiosisque gemmis ex-

¹⁾ Super libertatem Salium.

²⁾ G. 1317.

ornatae, est inclusa, publicaue devotione ab universis Christicolis coepit adorari. Quievit in pace anno —. ¹⁾

XXIV.

Leopoldus moritur anno 1347.

XXV.

Conradus II. Ab Alberto Duce Austriae ac Stephano Duce Bavariae omnium privilegiorum confirmationem adeptus est, monasteriumque ac oves sibi concreditas felici cum tranquillitate gubernavit. In aeternum abiit anno 1357.

XXVI.

Colmannus primus. Hic â capitulo generali impetravit, quatenus Magnatum ac Principum mulieres in exequiis solemnioribus libere monasterium ingredi queant. Per viginti annos summâ cum laude praefuit, donec finem vivendi fecit anno 1377.

XXVII.

Colmannus II. Vitâ functus est anno 1392.

XXVIII.

Nicolaus primus. Hic ob singularem prudentiam agendique dexteritatem eximiam dignus est habitus, qui Alberto Austriae Duci ab intimis esset consilius, quam dignitatem tum sapientiae studio, tum ardenti religionis zelo ita sustentavit, ut omnium sibi venerationem amoremque conciliaret, praepimis Beatricis Ducissae Austriae, quae id ipsum ²⁾ literis ad eundem datis abunde est contestata; eiusdem Beatricis intuitu ipse Albertus centum talenta puri auri monasterio contulit. Post decennium resignavit. ³⁾

XXIX.

Albertus. Hic duo sacella, unum in Meidling (i. e. Mayerling) Divo Laurentio, alterum in Siegenfeld S. Udalrico extrui fecit. Eidem â generali Capitulo cura demandata est de monasteriis in Hungariâ, Austriâ ac Styriâ existentibus quoad visitationem, reformationem laudabilisque Ordinis ritus ususque introducendos: Unde primum eundem re ipsâ (absque tali tamen titulo) Vicarium Generalem exstitisse pronum est colligere. Quali vero curâ a sollicitudine hoc officio defunctus sit, abunde declarant commendatitiae litterae ⁴⁾ tam Regis Hungariae quam Ducis Austriae ad Capitulum Generale directae. Ast faustis principis dispar respondit exitus: Instante siquidem belli tempestate facul-

¹⁾ Als ursprüngliche Zahl steht im Original 1232, die nachträglich in 1336 umgeändert worden ist; richtig ist 1342.

²⁾ ipsae litterae ad eundem datae.

³⁾ Auch die Angabe P. Rösslers, während ihn P. Burger schon sterben lässt.

⁴⁾ ipsae litterae in Archivo extantes.

tates monasterii adeo excussae sunt auctoritate Principis, ut victus quoque necessaria in Domo Dei deficerent; quare inedia moeroreque absorptus nimio periit anno 1414. Quam feracia calamitatum ea tempora fuerint, non obscure indicat antiquum Mellicense Chronicon,¹⁾ quod sic habet: Anno 1408 „magna dissensio orta est inter Ducem Leopoldum, Comitem de Maidpurg, et militares ex una parte; et inter Ducem Ernestum et Dominum Rupertum de Wallsee cum Baronibus et praecipuis in Austria ex altera parte. In qua discordia et lite terra in tantum depraedata est, et tanta damna pertulit ab inhabitatoribus terrae ex utraque parte, quod non meminit aetas: Quia monasteria et ecclesiae sunt spoliata et violata“ — hactenus Chronicon.

XXX.

Petrus vitâ defunctus est anno 1417.

XXXI.

Joannes II., mortuus anno 1435.

XXXII.

Henricus IV. Quam sagax consiliis prudentiaeque ac dexteritatis famâ celebris fuerit hic Abbas, omnibus contestata est praeclara illa de eodem opinio Friderici Romanorum Regis et Ducis Austriae,²⁾ à quo caput totius Austriae constitutus nomen obtinuit Administratoris. Obiit anno 1442.³⁾

XXXIII.

Georgius II. moritur anno 1447.

XXXIV.

Joannes tertius. Grandaeuus ac decrepidae iam aetatis pedi Abbatialis factus est particeps; hinc tertio vertente anno hoc onere sese levare annorum pondere coactus est.

XXXV.

Joannes quartus. Anno 1451.⁴⁾ ab Abbate Eboracensi tanquam Morimundensi commissario institutus et confirmatus est. Singularis doctrinae praerogativâ eminens doctorali laureâ Abbatialem condecoravit dignitatem. Ad aeternitatem transiit anno 1459.

XXXVI.

Laurentius. Exstitisse eum circa annum 1460.⁵⁾ ex antiquâ scripturâ literisque ad hunc Abbatem directis colligimus.

¹⁾ apud Pezium, Scriptores rer. Austr. T. I. pg. 251.

²⁾ Litterae ad eundem datae.

³⁾ Auch Seywitz und Rössler nennen dieses Todesjahr.

⁴⁾ instrumentum electionis.

⁵⁾ G. 1461.

XXXVII.

Georgius tertius.¹⁾ Generalis Capituli autoritate monasteriorum in Austriâ, Styriâ Regnoque Hungariae constitutus Vicarius, visitando reformandoque easdem sanctis instituit legibus. Aliquo tempore²⁾ coenobium Campilliorum administravit. Ex hoc mundo transiit 1470.

XXXVIII.

Georgius IV. Instituitur ab Abbate Morimundensi Guillelmo anno 1470. Visitator omnium Austriae monasteriorum constitutus, provinciale Capitulum anno 1474 in S. Cruce celebravit praesentibus RR. DD. Abbatibus Vallis Dei, montis Pomarii, Hilariensi, Cellae Angelorum, Cellae Principum, Alderbacensi et Raitenhaslacensi. A capitulo Generali ob albi panni penuriam nigro habitu suos vestiendi religiosos dispensationem obtinuit. Moritur anno 1478.

XXXIX.

Matthaeus cognomine Kronperger, Austriacus Aspernensis. Primis regiminis sui annis variis bellorum fluctibus iactatus est. (Id temporis siquidem Matthias Corvinus tertio Viennam obsidione cingens eandem cum universâ Austriâ ditioni suae subiecit). Omnium dein privilegiorum³⁾ confirmationem â Friderico III. Romanorum Imperatore ac ab ipso Matthiâ Hungariae Rege obtinuit⁴⁾. Duo monialium coenobia ad S. Spiritum in „Ips“ et S. Bernardi in „Altenburg“ ad vitae regularis normam reformavit Duabus electionibus, Runensi et SS. Trinitatis,⁵⁾ â Patribus immediatis Eboracensi ac Runensi imploratus, praesedit. Moritur anno 1492.

XL.

Michael primus. Ultra viginti monachorum triaque monialium monasteria quoad directionem spiritualem⁶⁾ Capituli Generalis autoritate eidem subiecta fuêre. Defunctus est anno 1516.

XXXXI.

Bernardus. Omnes capellas hostili incursione dirutas reparari ac ab episcopo Lybonensi Bernardo reconciliari fecit⁷⁾ Resignat anno 1519.

XXX XII.

Guillelmus, natione Augustanus, figuli ibidem filius tanquam vas figuli probatus, factus est vas electionis et honoris⁸⁾

1) litterae Capituli Generalis.

2) litterae P. Prioris Campilliorum.

3) ipsa privilegiorum testimonia.

4) Diploma Generalis et litterae ad eundem directae.

5) litterae Abbatum ad eundem directae.

6) Decretum Cap. Gener.

7) Antiquum Archivale instrumentum.

8) Instrumentum electionis.

ex Abbate montis Pomarii ad monasterii S. Crucis clavum assumptus est.¹⁾ A Ludovico Rege Hungariae libertatem à regni exactionibus, à Ferdinando primo vero Imperatore omnium privilegiorum obtinuit confirmationem. Resignavit anno 1528.

XXXXIII.

Joannes V., cognomente Hartmannus, ex Traiecto Aeroniano vulgo Uberlingen civitate Imperiali natus. Incidit hic Abbas in ea tempora,²⁾ in quibus Ottomana potentia victricia per Hungariae regnum trophaea circumferens, ad Austriae usque Metropolim Viennam penetravit, eandem formidabili obsidione cingens, ac universam circumquaque Austriam devastans: Unde percusso cum pastore fugientes oves, nonnisi tristes post se monasterii ruinas reliquere. Subiti timoris confusione Conversus quidam ob monasticum crimen in carcere detentus ibidem derelictus est, qui ab immani hoste deprehensus truncatisque manibus ac pedibus ad plumbeum fontem, perseverante etiam nunc effusi sanguinis vestigio, trucidatus inveniebatur. Coepit instaurare monasterii ruinas obiitque anno 1536.

(Schluss folgt im nächsten Hefte.)

Aus dem Briefverkehr deutscher Gelehrten mit den Benedictinern der Congregation von St. Maur und deren Beziehungen zu den literarischen und religiösen Bewegungen des 18. Jahrhunderts.

Von J. E. Kathrein, O. S. B.

(Fortsetzung zu H. I. 1902, S. 111—126.)

Ende August oder anfangs September 1713 hatte Bartenstein die französische Hauptstadt und den beiden Theilen gleich lieb gewordenen Freundeskreis von Saint-Germain verlassen, ohne seine Anhänglichkeit zu verlieren. Aus Strassburg ist sein erstes Schreiben³⁾ an Dom Montfaucon datiert und gibt uns neben den freundlichen Worten, welche den Schmerz der Trennung bekunden, die Zeit seines Scheidens von Paris. „Miraberis sine dubio, Vir Pl. Reverende“, so beginnt der Brief, „qui fieri potuerit, ut homo Tui amantissimus et quem Colloquiorum Tuorum suavitas adeo ceperat, ut vix a latere Tuo avelli se fuerit passus, per totos tres integros menses nihil quicquam ad Te literarum daret. De meo enim erga Te affectu non est, quod ullus

¹⁾ Privilegia desuper data.

²⁾ videlicet in an. 1529.

³⁾ Beil. A, Bf. I. 4. December 1713.